

**narrator:** **JACOBUS ET FABALIA**

**narrator:** scaena prima – domi

**narrator:** Jacobus et mater vaccam habent, sed vacca lactem non dat.

**Jacobus:** vaccam vendere possumus. eam ad macellum duco.

**narrator:** scaena secunda – in via

**narrator:** Jacobus magum in itinere convenit.

**magus:** ecce! quinque fabae magicae! si tu mihi vaccam das, ego tibi fabas do.

**narrator:** itaque Jacobus fabas et magus vaccam accipiunt.

**narrator:** scaena tertia - domi

**mater:** quam stultus es, Jacobe! quid cum quinque fabis facere possumus?

**narrator:** mater igitur fabas e fenestra deicit.

**narrator:** postridie mane Jacobus ingentia fabalia in horto videt! fabalia ascendere coepit. simulac ad summa fabalia pervenit, sagam videt!

**narrator:** scaena quarta – apud sagam

**saga:** (*magna voce*) quid vis, puer?

**Jacobus:** si vis, ientaculum volo!

**narrator:** saga ientaculum ei coquit. sed eo tempore gigantem advenientem audiunt.

**saga:** in foco cela!

**narrator:** tum gigantem cantantem audiunt.

**gigas:** fee, fi, fo, fum, sanguinem viri Britannici olfacio.

**saga:** inepte! ientaculum consume!

**narrator:** post ientaculum, gigas pecuniam numerare coepit. sed fessus est, et mox obdormit. Jacobus igitur pecuniam capit et domum currit.

**narrator:** scaena quinta – domi

**mater:** quam callidus puer es!

**narrator:** Jacobus fabalia iterum ascendit.

**narrator:** scaena sexta – apud sagam

**saga:** quid vis, puer?

**Jacobus:** si vis, ientaculum volo.

**narrator:** saga ientaculum ei coquit. sed eo tempore gigantem advenientem audiunt.

**saga:** in armario cela!

**narrator:** tum gigantem cantantem audiunt.

**gigas:** fee, fi, fo fum, sanguinem viri Britannici olfacio.

**saga:** inepte! ientaculum consume!

**narrator:** post ientaculum gigas gallinam tollit.

**gigas:** ovum pari, gallina, ovum pari!

**narrator:** gallina ovum aureum parit! sed gigas fessus est et mox obdormit. Jacobus gallinam capit et domum currit.

**narrator:** scaena septima – domi

**mater:** quam callidus puer es!

**narrator:** Jacobus rursus fabalia ascendit.

**narrator:** scaena octava – apud sagam  
saga aquam quaerit. Jacobus igitur in caccabo se celat.  
tum gigantem cantantem audit.

**gigas:** fee, fi, fo, fum, sanguinem viri Britannici olfacio.

**saga:** inepte! ientaculum consume!

**narrator:** post ientaculum gigas citharam auream capit.

**gigas:** lude, cithara, lude!

**narrator:** cithara ludere coepit, sed gigas fessus est et mox  
obdormit. Jacobus igitur cum cithara effugit, sed cithara  
vocat

**cithara:** domine, domine!

**narrator:** et gigas surgit. gigas Jacobum ad summa fabalia agitat.  
Jacobus fabalia descendit. descendit quoque gigas!

**narrator:** scaena nona – domi

**Jacobus:** mater! securem fer! fabalia excidere volo.  
*(fabalia excidit).*

**narrator:** gigas quoque decidit. in magnum cavum evanescit.

**Jacobus:** finis eius est!

**narrator:** itaque Jacobus citharam gallinamque et aureum gigantis  
retinet. post haec Jacobus et mater simul feliciter vivunt.

**narrator:** FINIS